

eK. 59. 3.

26

COMMENTATIONIS
DE
ARBORE FRVCTIFERA NON
EXCIDENDA

AD DEVTERON. CAP. XX. COM. XVIII.
PARTICVL A POSTERIOR.

COBVRGI
EX OFFICINA FINDEISENIANA.

aa.

COMMISSIONATIONIS
VERBORE EXCIDIENDA
EX CIBIS
AD DESTRUCTIIONE CAR. XX. COM. ZALTB.
BRITONIAE TOTENHOR.

COGARAT
EX OFFICINA MUNDUSINIANA

ILL. GYMN. CASIMIR. ACAD.
DIRECTOR ET PROFESSORES
RELIQVI
CIVIBVS SVIS
S. P. DD.

§. IIII.

Sed ad alteram interpretum classem progrediamur, eorum videlicet, qui verba, de quibus disputamus, alio, quam hactenus vidimus, consilio a Mose prolata esse credunt, hincque suae opinioni conuenienter ita exponunt, ut ad causam promulgati interdicti nihil pertinere videantur. Vbi duae maxime sententiae se nobis offerunt: altera IO. PISCATORIS et aliorum quorundam, qui enunciatum hoc: כִּי הָרָם עַז הַשְׁדָה a continuo orationis filo abrumpentes ita vertunt: *quamvis homini sint arbores agri*, i. e. eius usui inserviant et imperio subsint, huncque totius sermonis nexus faciunt: *Ne excindito, (quamvis homini sint arbores agri) ut procedant ante te in propugnaculum*. Verum enim nobis probabile non fit, particulam כִּי hic aliam et rariorem, quam paullo ante habuerat, significationem sustinere, et per *quamvis* potius, quam *quia* reddendam esse. Accedit, quod ipsa sententia sic superuacula esse videatur; Deus enim cum certarum rerum usum legibus circumscribit, confirmare hominibus opus non habet, se nihil de iure ipsis conceitto ea re demtum velle.

Altera sententia est Ivnii et TREMELLII, quam et CHRISTIAN. NOLDIUS h) ornauit, de quorum iudicio verba nostra

(2) ita

b) In Annotatt. et Vindiciis ad Concord. particularum Ebr. p. 891. ed. Tympii.

ita reddenda essent: *At cuius (permisae sint) arbores agrestes, ut veniant ante te in propugnaculum.* Supra ad sententiam quanto loco prolatam nonnulla iam dicta sunt, quae ad hanc etiam confutandam valent, videlicet *arbores agri* sine idonea causa de silvestribus accipi et a fructuosis distingui; ac praeterea tautologiam sic existere, si, quae statim sequuntur, comparemus; qualis quidem eiusdem sententiae repetitio, sicuti plana et aperta in Scriptura S. est, vti est interdum, absque vitio admitti potest, at vbi commoda tamen explicatione cuiuslibet queat, quis non hoc praeoptandum existimet? Sed haec pluribus iam non repetemus. Vnum illud tantum vrgbimus, **הארם** per cuiuslibet hic explicari; quod primo ponit hoc, vocem **לכל** mente illi esse adiiciendam, deinde personae mutationem in **מן** esse factam, cum proprietate personae pronomen requiratur, **הארם** **מן**, si quidem cum consentire debeat; quae omnia eiusmodi sunt, ut sententiam propositam non parum premant.

Hactenus igitur varias loci nostri explanationes examinauimus, eas nempe, quae aliquam probabilitatis speciem praeseferre videri poterant; vanas enim et ad primum aspectus iudicium repudiandas quid attinet commemorare? Quum autem nulla eorum, ut vidimus, difficultate vacet, restat, ut dispiciamus, an facilior et minus impedita reperiri possit. Certe in omnibus simplicitatem, commendabilem illam veritatis notam, iure desiderare nos posse videmur; **ἔσσιν** quippe **τὸ αἰληθές**, ut *Lycurgus* ait. hac igitur nota insignem interpretationem si inuenire liceat, dubium non est, quin ceteris omnibus sit praeferenda.

§. V.

Quod quidem cum conamur, ante omnia totum contextum orationis Mosaicae considerabimus: curius et suas quasi in partes secabimus, quo magis sensus eius oculis nostris et menti pra-

◎ ◎ ◎

praetentetur. Primum igitur *res ipsa*, de qua loquitur legislator, in diutina scilicet vrbis alcius obsidione arbores, quae in confiniis eius essent, fructiferas non deiiciendas esse, planissimis verbis hisce proponitur: **כִּי חָצַר אֶל־עִיר יְמִים וּבִתְהֻלָּת עַלְיהָ לְתִפְשָׁה לֹא־תִשְׁחַת אֶת־עַצְמָתָךְ נָרוֹת עַלְיוֹן גְּדוּלָה** Cui legi rendae fine dubio occasionem dedit ratio, qua in oppugnandis hostium vrbibus veteres vtebantur; ab hodierna multum diuersa. Cum enim non dum scirent per magnam pilarum ferrearum, globorum item ignitorum in tecta coniectorum vim vrbes expugnare; turres fere adhibebant et machinas alias ex ligno constructas. Vnde magna arborum copia consumebatur, praesertim cum iis opus etiam haberent ad vias salebrosas vallibusque impeditas complanandas, si muris admouere machinas vellet. *i)* Itaque superacaneum non erat, quas arbores in usum bellicum insimere conueniret; quasque minus, diserta lege constituere. Vult autem arbores fructuosas omnino de dicto usu eximendas esse. Cuius legis hanc *rationem* grauissimam affert, quod, quae ad victim pertinerent, suppeditare illae possent: **כִּי בְּמַנְטָה תְּאַכֵּל** ex quo planum fit, prudentiae regula ista legem propositam niti, quae exercitu in terris hostis diutius versanti se ipsum vitae sustentandae praefidiis priuare vetat. *k)* Nec igitur quaestioni locus hic esse potest, quam nonnulli mouerunt: cur arboribus his parcendum esse Moses praecepit, quarum fructus tamen incolis bello delendis (vid. v. 13. 14. 16.) non amplius prodesse potuerint? nam suo ipsorum usui Israëlitae eas conseruare debebant, si nempe obsidio traheretur; non de quacunque

(3)

enim,

i) Vide locum JOSEPHI de Bello Iud. Lib. VI c. XII. a Clerico iam allatum in Commentar. ad h. l.

k) Quam neglexit magno suo damno Maximini exercitus Aquileiam obsidens, de quo HERODIAN. Lib. VIII. c. V. §. 8: ὁ δὲ ἡράτος πάντων ἐν σπέναι, τῶν δὲ παροφόρων δένδρων ἐκπειμένων καὶ τῆς γῆς ὑπὸ ἀντρῶν δεδημένης. Exercitus vero omnium rerum egenus erat, excisis feracibus arboribus, agroque omni ab ipso peruersato.



enim, sed longiori obsidione sermonem esse prima statim verba docent. Pergit legislator et ex data ratione rei, quam interdit, necessitatem iterum ostendit, magisque inculcat et demonstrat: **וְאַתָּה לَا תִּכְרֹת לְבָא מִפְנֵיךְ בְּעַצָּוֹר hinc illas ne succindas, ad machinas illis et reliquum apparatum obsidioni profuturum usuras.** Quin haec verba coniungenda sint, nobis dubium non est, cum ipsa constructionis facilitas, qua cohaerent, coniungere illa iubeat. Nec sensus, quem in ultimis expressimus, dubius esse videtur; arbores enim hebraice *ante nos in obsidionem venire* dicuntur, cum ad eam instruendam a nobis adhibentur; de qua re verbum **בָּא** etiam vſurbatur Ier. XXXII, 24. **מִצְוָה** autem hic, vt alibi, omne id denotat, quod ad obsidionem faciendam comparatur, quale est vallum, arietes, vineae, turreſ et huius generis alia. Iam supersunt adhuc, quae postremis his enunciatis interponuntur, verba illa controuersia: **כִּי הָרָם עַז הַשְׁרָה** quea quo tandem spectare exigitabimus? De nostra quidem sententia non alio spectant, nisi ad rationem legis supra positam. Dixerat Moses arbores frugiferas militibus cibum praebere posse, nec propterea esse perdendas. iam rationem hancce non melius firmare poterat et corroborare, quam lectors ad diuinam constitutionem Gen. I, 29. ablegando, vbi Deus fructus arboris hominibus cibum se ordinasse ostendit; ad hanc quippe verba haec respicere nobis persuasum est; itaque parenthesi inclusa commodissime sic redditur: *Nam hominum sunt, seu hominibus a Deo concessae sunt arbores agri*, vt scilicet fructibus earum vescantur.

§. VI.

In qua quidem explicatione nihil nos videre posse profitemur, quod siue cum re ipsa, siue cum rationibus grammaticis non optime conueniat. Quod enim primum ad *parenthesin* attinet, quam cum aliis, licet de sensu horum verborum non idem nobiscum statuentibus, hic assumimus; nemo est, qui sciat,

sciat, in utroque codice sacro eam haud infrequentem esse, et possunt eius exempla plura apud CHRISTOPHE. WOLIVM ¹⁾ legi, qui singulari studio ea collegit, nec male de hoc, vt de aliis Hermeneuticae sacrae capitibus meruit. Scimus quidem parenthesos characterem illum, quem vir modo laudatus cum aliis statuit, *eam in fine suo semper accentum dignitate maiorem collocare, quam is sit, post quem initium capiat*, in nostram praesentem non conuenire, quae quippe post Athnach incipit et *Sakephkaton* terminatur. Sed fallax est character ille, et in partem affirmantem quidem plane non valet; cum ite accentuum positus quam saepissime occurrat, vbi nemo de parenthesi cogitare potest; in partem negantem autem saepe quidem, non autem semper, quod tamen in charactere proprio requiritur, iudicandi ansam praebet, cum plura exempla contraria proferri possint, quod praeter alios accentuum hebraicorum doctores, veluti *Abichtium*, *Brunsmannum*, *Franckium*, *Starckium*, S. R. 10. FRID. HIRTIVS nuper etiam docuit. m) Alterum, quod interpretatio nostra sumit, hoc est, **הָרָם** **לְאַרְםָ** possum esse, quod nemini profecto mirum videri potest, qui casuum notas saepe apud hebreos omitti sciat. Quemadmodum enim in verbis per Praeteritum et Futurum, quae dici vulgo solent, rectius autem Aorista dicerentur, omnia tempora exprimunt: ita etiam nomina interdum sine omni signo posita omnes fere casus denotant ex solo contextu cognoscendos; in quo ambiguitati aliquem interdum locum esse negari nequit. Exempli causa duo loca similia, in quibus eadem verborum constructio, quae in nostro, reperitur apponemus, hisque commentationem nostram finiemus: alter est *Eccl. XII, 13:* *כִּי זֹה כָּל־הָרָם nam hoc omni homini conuenit*; alter *Ezech. XII, 10.* *הַנֶּשֶׁאָה המשָׁא הוּה וּבֵית יִשְׂרָאֵל Principi haec prophetia et toti domui Iſrael est*, i. e. ad regem et Israélitas spectat.

Reli-

1) In *Commentat. phiol. de Parenthesi sacra*, Lips. 1726 edita.m) In *Diff. de Parenthesi et generativi, et speciatim sacra*, §. XXVIII. sq.



Reliquum est, vt, qua de causa publico Vos scripto, Cines, compellauerimus, indicemus. Profecturus scilicet ad Academias alias est Commilito vester

DANIEL OTTO IOHAN. VOIGT,
Schalcouio-Meiningensis,

Iuuenis ingenio felici, discendi cupidissimus, moribus sedatis, prauorum familiaritatibus inimicus, et vt paucis multa dicamus, disciplinae Voigtianae. Hic ne sine dato profectuum suorum specimine et grati animi testificatione discedat, hodie hor. II. a meridie *de necessitate et utilitate literarum in republica, orationem latinam habebit.* Vestrum itaque est ad hanc audiendum confluere, commilitonemque bene vobis precantem bonis omnibus prosequi. P. P. d. V. Octobris. A. C. **clcccxliii.**



Fd 2082



86.

AC



26.
COMMENTATIONIS
DE
ARBORE FRVCTIFERA NON
EXCIDENDA

AD DEVTERON. CAP. XX. COM. XVIII.
PARTICVL A POSTERIOR.

C O B V R G I
EX OFFICINA FINDEISENIANA

aa.